

prohibitionem; neque juxta hodiernum Congregationis stylum solet exprimi; quo ex capite liber profcribatur, incerta quoque manet poena quam contravenientes incurunt.

XX. Porro cum ex antedictis constet, Synodum Tridentinam nullum Indicem librorum prohibitorum composuisse; sed dumtaxat Partibus quibusdam ejus curam demandasse; & quidem expresse, cum relatione ad Synodum, ut facta relatione, ipsa demum commotius deliberare & statuere posset, atque tandem instante Synodi conclusionem, opus à Patribus delectis confectum ad Romanum Pontificem remisit, eo quod ob librorum varietatem & multitudinem non posset distincte & commode à Sancta Synodo judicari, evidens est, hunc Indicem non alio ex capite posse dici Tridentinum, nisi quod Synodus quibusdam Partibus ejus conficiendi curam demandaverit; atque hi durante Concilio, huic operi ultimam manum apposuissent, aut saltem (ut loquitur Clemens VIII. in Bulla quae incipit sacrosanctum) in negotio illo non parum essent progressi; aut denique, quia totum illud negotium à Synodo ad Pontificem remissum fuit.

XXI. De Regulis verò Indicis non idem potest dici potest. Cum enim, uti supra monui, Synodus Partibus ad Indicem delectis, nullam componendis hinc regulis curam dederit; atque de solo Indice librorum perniciosorum in Synodo actum fuit, patet, non posse has regulas hoc ex capite Tridentinas nuncupari; sed eas solis illis Delectis Patribus, qui illas extra illum Synodi mandatum, composuerunt, esse adscribendas.

Unde S. Carolus in Synodo sua quinta, Indicem librorum prohibitorum vocat quidem Indicem jussu Tridentini confectum; at in prima sua Synodo loquens de his regulis ait: *Regulas indicis de libris vetitis ab his qui illi negotio à Sacrosancta Synodo Tridentina praefecti fuerunt, ex auctoritate Sanctissimi D. N. Pii IV. editas & c.* ita eas simpliciter dictis Patribus attribuens.

XXII. His Regulis subjicitur insuper instructio eorum, qui libris, tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis, diligentem; ac fidelem (ut par est) operam sumi datur, non à Delectis Patribus à Synodo Tridentina ad concipiendum Indicem confecta, sed postmodum adjecta.

In hac instructio inter cetera sub titulo *De prohibitionem librorum* §. 5. praescribitur, Episcopi & Inquisitores, seu ab illis delegati, & deputati, tam in Italia, quam extra, penes se habeant singularum Nationum Indices, ut librorum, qui apud illas damnati ac prohibiti sunt, cognitionem habentes, facilius prospicere possint, an etiam à sine jurisdictionis terris, eisdem recognitos arcere, vel retinere debeant.

XXIII. Haec patenter supponunt, interdum libros aliquos in certa Provincia aut Natione prohiberi, quae in aliis Provinciis non similiter prohiberi, aut non eodem rigore debeant; quod non uno ex capite contingere potest.

Certum imprimis est, expressiones aliquas posse esse novitas apud populum minus in fide Catholica, aut Religione instructum, aut haereticis permixtum, quae nequaquam offenderent populum melius instructum, vel nullam cum haereticis communionem habentem; adeoque librum aliquem ob hujusmodi expressiones, esse uno in loco prohibendum, & non alio: idem esto de tempore iudicium.

Adhaec contingere subinde potest, ut liber aliquis in certa provincia aut Diocesi à Pastoribus & Animarum Directoribus tanquam pius & instructioni populi conveniens fuerit commendatus, & vicissim à populo avidè receptus & sine offensione lectus: vel etiam à viris spectatae doctrinae & magnae apud populum auctoritatis probatus. Quis porro ambigat, quin hujusmodi circumstantiis concurrentibus fieri subinde posset, ut libri illius in tali loco pro-

hibitio non conveniret, tamen alio in loco non esset improbanda?

Quid enim, si liber ille revera quidem obscuriores quasdam contineat expressiones aut etiam leviores aliquos errores, ita ut ex ejus lectione aliquod erroris periculum populo imminere possit; ideoque sepositis particularibus circumstantiis merito prohiberetur, sed si periculum ex hujusmodi obscurioribus expressionibus, aut levioribus erroribus populo imminens conferatur cum scandalo, quod ob particulares circumstantias concurrentes, ex libri illius prohibitionem in tali loco imminet, fieri potest, ut periculum ex lectione istius libri imminens, nullatenus æquiparari queat scandalo ex prohibitionem ejusdem orituro: ideoque convenientius foret à prohibitionem super sedere; ipsorumque Pastorum curae permittitur, ut obscuriores expressiones populo clarius exponant.

Facile quippe contingeret, ut ob libri hujusmodi prohibitionem, populus de Pastoribus aut Praedicatoribus, qui librum illum commendaverunt, sinceritate vacillare inciperet; atque suspecta habere, quae de articulis fidei, aut morum praecipuis à Pastoribus audiunt: quod malum multo gravius atque populo nocentius esse posse, quam periculum erroris, quod ex lectione illius populo esset metuendum, dubitari nequit.

Ceterum tota praedicta instructio eo praecipue tendit, ut ostendat, qualiter Episcopi, Inquisitores & Universitates in prohibendis, & corrigendis libris procedere, qualque regulas tenere debeant.

XXIV. Ad Episcopos quippe atque Fidei Inquisitores praecipue pertinet invigilare, ne populus ex librorum lectione haeresi aut aliis perniciosis in fide aut moribus erroribus inficiatur; quare & erecta in Urbe Congregatio Inquisitionis sive Sancti Officii invigilare cepit prohibitionem & correctionem hujusmodi librorum.

XXV. Cum autem, hac Congregatione in gravioribus actualibus negotiis fidei magis occupata (uti loquitur De Luca in relatione R. Curiae disc. 19.) ita materia revisionis & prohibitionis librorum forsitan non adeo diligenter & accurate ageretur, Sixtus V. hanc Congregationem Indicis tanquam dictae congregationis Sancti Officii vicariam & adjuvicem erexit, eadem primae va potestate penes ipsam matrem adhuc remanente.

XXVI. Congregatio autem haec constituitur ex competentem numero Cardinalium pro Papae beneplacito. Habet praeterea Secretarium ex Ordine S. Dominici, qui una cum Cardinale Praefecto Decreta congregationis signat.

XXVII. Praeterea habet perpetuum & fixum Consultorem, Magistrum Sacri Palatii similiter ex Ordine S. Dominici, qui primitus apparere assumptus, ut quasi Theologus in rebus fidei in privatis occurrentibus (ait Cardinalis De Luca in citata relatione disc. 8.) Papam informaret, antequam sub Paulo III. erigeretur Congregatio Inquisitionis; quin & ante erectionem dictae congregationis Inquisitionis, ac Indicis, ipsi pene soli librorum revisio, expurgatio, ac impressio concredita erat.

Hinc etiamnum hodie, impressio librorum in Urbe ejusque districtu sine ejus licentia inhibita est. Retinet quoque facultatem, quam forte solus ante erectionem istarum congregationum exercebat, ait De Luca, revidendi, si velit, libros alibi impressos, qui in urbe ejusque districtu vendantur seu legantur: ut proinde mirum non sit, ipsum tanquam perpetuum ac fixum Consultorem congregationibus interesse.

XXVIII. Ad hanc insuper congregationem pertinet magnus numerus Theologiae aliarumque litterarum Professorum, qui, inquit De Luca, frequentius omnes vel pro majori parte sunt Religiosi diversarum Religionum sub nomine seu vocabulo Consultorum.

Partes horum sunt, revidendi vel examinandi libros, qui tanquam suspecti denuntiantur, juxta distributionem, quae per Secretarium eis fieri solet; cum obligatione

gatione referendi & examinandi in plena Congregatione; quae diem certum non habet, ubi tum determinatur, an liber prohiberi aut expurgari, vel suspensi debeat, vel absolute permitti possit: solentque ut plurimum Cardinales se iudicio Consultorum, qui librum reviderunt & examinant, conformare.

XXIX. Soli tamen Cardinales votum decisivum obtinent, quibus à Sixto V. in erectione hujus Congregationis injunctum est, ut libros, qui post Indicem Concilii Tridentini jussu editum prodierunt, Catholicae doctrinae, Christianorumque morum disciplinae repugnantes, expendant & recognoscant, ac ubi nobis retulerint, nostra auctoritate rejiciant; hominum vero injuria & dolo depravatos emendant, eos libros, qui paucis erroribus relictis, alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi, atque corrigendi modum ineant, indicemque expurgatorius conficiant, novos praeterea libros approbandi, & imprimendi rationem praescribant.

XXX. Prae obiter notandum, mentem Pontificis nequaquam fuisse, ut libri studiosis alioquin utiles, ob leviores aliquos errores, aut duriora aliqua dicta absolute profcribantur. Et sane (ut rectè monet De Luca citato disc. 19. num. 15.) id apud omnes commendabile reputatur, ut quo magis fieri potest, parca ac circumspèctè in hac prohibitionem procedatur, ne facilis vel frequentia vilipendium cauet, aliaque producat inconvenientia eo modo, quo in Ecclesiasticis censuris, Canonibus atque Concilia docent, ac movent.

XXXI. Huic Congregationi Pontifex non affuit; unde etiam dumtaxat sub nomine Cardinalium Congregationis Indicis nulla Pontificis facta mentione Decreta editi solent.

Decreta quidem jam formata, priusquam imprimantur, per Secretarium Congregationis Pontifici exhiberi & ostendi consueverunt; sed quia Pontifex nec librum legit, nec Consultorum, qui illum examinarunt & reviderunt, relationem audit, sed Decreto formato simpliciter annuit, nulla ejus in Decreto mentio injicitur, sed sub solius Congregationis nomine publicatur.

XXXII. Cum verò hac Congregatio tantum sit quasi Vicaria & adjuncta Congregationis Inquisitionis, per ejus erectionem auctoritas Congregationis Inquisitionis profcribendi libros, nec in minimo diminuta est.

XXXIII. Quin & nonnumquam contingit, ut liber aliquis per Decretum hujus Congregationis in Indicem relatus, postmodum etiam per speciale Decretum congregationis Inquisitionis profcribatur: quemadmodum contigit circa librum Amadai Guimenii; qui 5. Aprilis an. 1666. à Congregatione Indicis prohibitus & in Indicem librorum prohibitorum relatus, tursus die 12. Septembris an. 1675. à congregatione Inquisitionis prohibitus fuit; uti refertur in Brevi Innocentii XI. die 16. Septembris an. 1680. quo eundem librum iterato profcribit: eo quod non obstante iterata illa per congregationem Indicis & Inquisitionis prohibitionem, nonnulli propria salutis immemores eundem legere & retinere damnabili lectione, usum, & praeserjumerent.

XXXIV. Episcopi ac Fidei Inquisitoribus salvam manere in suis respectivè Diocesis & districtibus facultatem libros profcribendi, expurgandi & corrigendi, quotidianè praxi manifestum est: quin imò Inquisitio Hispanica (si fides sit Francisco Salgado in Supplicatione ad Sanctissimum parte 2. cap. 33. numer. 145.) nec in Sicilia, permittit expurgationem & prohibitionem emanatam à Congregatione de Indice Romae existente publicari, nisi prius per Consilium ipsum supremum Sanctae Inquisitionis Hispanicae illi libri prohibiti, expurgati noviter, & accurate examinentur & expurgentur, ita ut si quid prohibitionis, aut expurgationis dignum reperiat sub censura dumtaxat sua, non attentè, quae à Congregatione de Indice emittitur, publicentur. Super quo, ait, plurima exemplaria praemanibus habui ex Registris hujus supremi Concilii, quae

Van Espen Jur. Eccl. P. 1.

facile hic potuissent inferere, nisi desessus calamus tam ingentem laborem recufaret. Hæc ille.

XXXV. Sed neque hæc in Provinciis Indicem librorum prohibitorum in omnibus receptum esse notoria Belgii praxis evincit.

Quis enim inter Juris Consultos aut Juris studiosos scrupulo angitur; aut cui scrupulus movetur, dum Passim legunt Commentaria Joannis Schneidui ad Institutiones Justiniani; Commentaria Francisci De Amaya in tres posteriores libros codicis; Commentaria Donelli Eucleati; opera Andreae Corvini, Matthæi Wesembecii, aliosque libros quamplurimos Decreto Romano in Indicem librorum prohibitorum relatos.

Imò licet nomen Caroli Molinæ esset relatum in primam classem Indicis Romani, quo indicabatur, omnia ejus scripta, non edita solum, sed edenda etiam, prohibita esse, nequaquam tamen crediderunt Viri auctoritate Philippi II. atque Albani Ducis consilio an. 1571. delecti ad Indicem expurgatorium pro Belgio concinnandum, omnia generatim Molinæ opera hic in Belgio vi illius relationis in Indicem esse profcripta; sed ejus opera de novo examinanda censuerunt; atque post examen institutum quaedam illorum, prius facta aliquali majori vel minori expurgatione aliqua verò nulla purgatione aut correctione adhibita, legi posse judicaverunt. Et quidem de ejus ad consuetudines Parisienses Commentario, hoc testimonium reddunt: *In hoc opere nihil est quod haeresim sapiat, quapropter illud admittitur.* Scripsit idem novum intellectum quinque legum. Nihil, inquit de illo Expurgatore, continet quod repurgari debeat, quapropter admittatur. Idem etiam scripsit novum & analyticum intellectum quatuor & aliarum plurimum legum, de quo hoc proferunt iudicium: *Nihil repurgatione dignum habet, quapropter admittatur.*

## CAPUT V.

## De Congregatione pro executione &amp; Interpretatione Concilii Tridentini.

- 1 Quæ ratione Synodus Tridentina voluerit difficultates occasione suorum Decretorum emergentes resolveri.
- 2 Pius IV. generaliter inhibuit omnibus, Decreta Synodi Tridentina interpretari.
- 3 Interpretationem Sedis Apostolicae reservavit.
- 4 Congregationem Cardinalium pro executione Concilii Tridentini instituit.
- 5 Huic Congregationi non erat auctoritas interpretandi Decreta Synodi; sed tantum exequendi.
- 6 Aliquando dubitavit: hac Congregatio, an propter decisos casus ad Interpretationem Concilii Tridentini spectantes, non incidisset in censuram.
- 7 Sixtus V. interpretandi potestatem huic Congregationi attribuit; & dicitur, Congregatio pro interpretatione Concilii Tridentini.
- 8 Praecipue versatur hac Congregatio circa Interpretationem Synodi Trid.
- 9 Quæ executionem Concilii Tridentini spectans, interdum etiam ad alias Congregationes mittuntur.
- 10 Hac Congregatio oritur, ut Synodi locales juxta praescriptum Synodi Tridentina habeantur; & Decreta Synodorum Provincialium ab ipsa revidentur.
- 11 Audit quoque postulata Episcoporum vistantium Litterarum Apostolorum.
- 12 In hac Congregatione nulla adest mixtura Prælatorum, præter Secretarium; & inter Cardinales unus dicitur, Cardinalis Praefectus.
- 13 Resolutionibus nisi debite munitis non creditur.
- 14 Declarationes ab hac Congregatione frequenter dantur super particularibus casibus.



- 15 Declarationes data pro casu particulari raro alteri casu applicari possunt.  
 16 Declarationes hujus Congregationis raro publicantur.  
 17 Non habent vim legis.  
 18 Interdum Congregatio à Declaratione data recedit, & contrariam dat.

**S**ynodus Tridentina Sess. 25. in fine *De recipiendis & observandis Decretis Concilii* declaravit: „Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua incidit, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem postulant, præter alia remedia, in hoc Concilio instituta, confidit Sancta Synodus, Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim Provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.

II. Porro nullum Concilium generale posthac celebratum est, neque evocationes ex Provinciis frequentatæ; sed Pius IV. in Bulla confirmationis ipsius Concilii quæ incipit, *Benedictus Deus*, „Apostolica auctoritate inhibuit, omnibus, tam Ecclesiasticis personis cujuscumque sint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis, quocumque honore ac potestate præditis; Prælati quidem sub interdictione ingressus Ecclesiæ, aliis verò quicumque fuerint, sub excommunicationis lætæ sententiæ pœnis, ne quis sine auctoritate nostra audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumque omnino interpretationis genus, super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere; aut quidquam quocumque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroboracionis, aut executionis, a liove quæsito colore, statuere.

III. Deinde subicit: „Si cui verò in eis aliquid obscurius dictum & statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam, omniumque fidelium magistrum, cujus auctoritatem etiam ipsa sancta Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates & controversias, si quæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas & decidendas, quemadmodum ipsa quoque sancta Synodus decrevit, reservamus, parati, sicut ea de nobis merito confisa est, omnium Provinciarum necessitatibus ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit, providere: Decernentes nihilominus irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

IV. Mensibus aliquot post Concilii Tridentini confirmationem, & hanc interpretandi Decreta Sedi Apostolicæ factam reservationem, erecta fuit ab eodem Pontifice aliquorum Cardinalium (illorum præsertim, qui in Concilio interfuerant; quique de mente Concilii magis credebantur instructi) Congregatio per Constitutionem quæ incipit, *Alias nonnullas* 81. in Bull. R.

V. Hæc Congregatio tametsi non esset instituta pro interpretatione dubiorum quæ oriri possent circa Decreta Concilii Tridentini, quæ omnia vult Pontifex ad se referri; sed pro executione & observantia illorum Decretorum; tamen eo etiam tempore, uti observat Cardinalis De Luca, aliqua oriente dubietate, istæ partes interpretandi assuebantur; atque aliqua, licet pauciores declarationes prodierunt; quæ majoris vel eo titulo auctoritatis reputandæ sunt, uti monet De Luca, „quod plures tunc in ea Congregatione, ne sedebant Cardinales, qui vel tamquam Præsidentes & Legati, vel tamquam Prælati postmodum ad Purpuram assumpti, in ipso Concilio intervenerant; ideoque tam-

quam Sessionum, ac disputationum consensu, melius Patrum sententiam callebant, „In annotat. ad Concilium Trid. Disc. 1.

VI. Quin & refert Fagnanus, hanc Congregationem aliquando dubitalle, an ipsa incidisset in censuram, de qua in citata Constitutione, *Benedictus Deus*, „decidendo multos casus propositos ad interpretationem Concilii pertinentes absque eo quod ullam relationem Sanctissimo fecerit. Et cum Congregatio hæc de re consulisset Pium V. Sanctitas Sua dixit, „senon credere Congregationem incidisse in hujusmodi censuras, quoniam opinabatur, „hanc prohibitionem eos tantum comprehendere, qui proprio usui interpretati præsumpsissent, ut indicant illa verba, *audeant interpretari*; tamen pro futuro, dixit, „se tribuere facultatem Congregationi ut absque alia delegatione posset decidere casus, quos Congregatio tantum quam claros putaret decidendos; quos vero tanquam dubios putaret referendos Sanctitati Sux, referret, prout postea fecit, ut disertis verbis est adnotatum in libris publicis S. Congregationis manu Cardinalis Caraffæ, „Ad Cap. 1. 2. *De Judiciis*.

VII. Postmodum Sixtus V. in sua constitutione quæ incipit, *Immensa* 74. in Bull. Rom. inter ceteras Congregationes, hujus quoque congregationis ineminit, eique clarior, non tantum exequendi, sed etiam interpretandi Concilii Tridentini Decreta, scilicet *reformationis* (eorum quæ ad fidei dogmata pertinent interpretatione sibi reservata) facultatem impartitur; ideoque congregatio, quæ in citata Constitutione Pii IV. dicebatur Congregatio super EXECUTIONE & OBSERVANTIA SACRI CONCILII TRIDENTINI, in hac Sixtina Constitutione vocatur Congregatio pro EXECUTIONE, & INTERPRETATIONE CONCILII TRIDENTINI, quamquam & ante hanc Sixtinam Constitutionem, quæ edita est anno 1588. Cardinales eidem congregationi præfecti dici cœperint Concilii Tridentini *Interpretes*; & congregatio *Interpretes* Concilii Tridentini: ut constat ex literis super confirmatione primæ Synodi Mechliniensis, de quibus *ut. 20. cap. 3. num. 6.*

VIII. Et quidem, uti monet De Luca, „hujus Congregationis principale institutum versatur in hac parte *interpretandi*, atque præstandi oracula in abstracto super dubiis quæ proponuntur; & super hac parte *interpretandi* alix congregationes se non intromittunt, unde propterea hæc facultas est privativa; „Hoc est, privativè ad hanc Congregationem spectat.

IX. Quæ verò executionem ejusdem Concilii attinent, quamvis frequenter etiam ad hanc Congregationem remittantur; atque propterea congregatio hæc non raro etiam particulares casus in forma contentiosa agitando & decidendo assumat, nihilominus subinde hujusmodi casus, licet circa Decreta Concilii Tridentini versentur, ad aliam Congregationem, v. g. Regularium & Episcoporum mittuntur seu referuntur.

X. Uterius voluit Sixtus V. in dicta Constitutione, ut hæc congregatio provideat, Synodus Provinciales & Diocesanas, prout à Synodo Tridentina ordinatum est, celebrari; Provincialium verò, ait, ubi vis terrarum illæ celebrentur, Decreta ad se mitti præcipiat, eaque singula expendet & cognoscat. „Hinc stylus invaluit, quod Decreta Synodorum Provincialium, dum pro confirmatione Romam mittuntur, ab hac Congregatione tantummodo recognoscantur & emendentur; ut ex Fagnano supra *Titulo 2. cap. 3. nu. 18. notatum fuit*.

XI. Huic quoque Congregationi incumbit, audire postulata Episcoporum *Limina Apostolorum* ad præscriptum sui juramenti visitantium; eisque congrua responsa dare ceteraque materiam hujus visitationis spectantia expedire; de quibus actum est *Titulo 15. cap. 2.*

XII. In hac Congregatione, quemadmodum monet De Luca, nulla adest mixtura Prælatorum, uno excepto, qui Secretarii munus gerit.

## CAPUT VI.

## De Congregatione super negotiis Episcoporum &amp; Regularium.

- 1 Hodierna quæstiones inter Regulares olim penè erant ignota.
- 2 Quæ hodie quæstiones pariunt olim erant ignota.
- 3 Unde & quando quæstiones originem sumpserint?
- 4 His controversiis decidendis erecta est hæc Congregatio.
- 5 Hodiernica est Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium.
- 6 Hæc Congregatio habet majorem numerum Cardinalium: & quare?
- 7 Ob multitudinem negotiorum dicitur occupatissima.
- 8 Est merè Cardinalitatis, & feria VI. habetur.
- 9 Quas causas Regularium audiat?
- 10 Quis Congregationis stylus dum quæstio est cum Episcopis.
- 11 Quis nem dum quæstio est inter ipsos Regulares.
- 12 Pleraque quæstiones inter Regulares & Episcopos aut Parochos moribus hodiernis deciduntur in Partibus.

**D**icitur quæstiones, quæ hodie inter ipsos Regulares, vel etiam inter Regulares & Episcopos aliove de Clero agitantur, pluribus sæculis ignotas fuisse, nec nisi ex mutata Monastica ac Regulari disciplina variisque successu temporis impetratis privilegiis originem sumpsisse, manifestum est.

II. Nam uti rectè advertit Cardinalis De Luca *Disc. 1. De Regularibus*, „Certum est, atque apud omnes Scriptores, „concorde, quod antiqui, sive Monachi sive Anachoritz, „alique Regulares, qui (à Monachis discreti Mendicantes dicuntur) non erant Clerici; quinimo Clericari prohibiti erant, ideoque more reliqui populi sæcularis sub Parocho vivebant, à quo Sacramenta aliaque divina recipiebant; indeque prodit, quod decimas, reliqui populi more, solvebant; ac etiam ejusdem populi, & Cleri sæcularis more subfacebant loci Ordinario, seu Diocesano ob adhuc non introductum usum privilegiorum super illa exemptione, quam hodie praxis docet.

„Hinc proinde sequebatur, quod nulla aderat controversiarum occasio inter Regulares, & Ordinarios, vel Parochos, alioque Clericos sæculares, quoniam si more reliqui populi Ordinario, & Parocho respectivè in omnibus subfacebant, atque non se ingererant in Divinorum & Sacramentorum administrationem, minisque in funeribus, & anniversariis, utique nulla suberat controversiarum occasio.

„Prout ferè nulla suberat occasio controversiarum, sive inter diversarum Religionum Professores, super præcedentiis, aliisque præminentis, ut hodierna praxis docet, „aut inter ipsosmet Religiosos ejusdem Ordinis, vel Instituti; tum quia cum non intervenirent in processionibus, aliisque Ecclesiasticis functionibus deerat præcedentiæ occasio; tum etiam quia attento eo primævo statu, ejusdem Ordinis, vel Instituti Professores, ac Monasteria, non constituebant illam universitatem, quam penè omnes Religiones hodie constituunt sub uno Prælati Generali, aliisque Officialibus, ac Prælati, qui sub Distinctorum, vel Assistentium, seu Consultorum, ac Provincialium, & Visitatorum, seu alio vocabulo nuncupantur, cum formalibus comitis generalibus, ac Provincialibus, quæ statutis temporibus celebrari solent, unde propterea manant inter eodem Religiosos pro hujusmodi Prælati, aliisque muneribus, contentiones, ac factionariæ emulationes & divisiones, cum solum aliqua rara dissenso pro electione Abbatis, ac Prælati localis inter singulorum Monasteriorum alumnos antiquitus audiri solita esset, dum quodlibet Monasterium de per se, ac independenter regebatur.

III. Postquam verò per exemptiones Monasteria pe-

Inter Cardinales verò hujus congregationis unus habet præfecturam pro subscriptione Litterarum & Decretorum, ipsiusque congregationis cura & directione, diciturque *Cardinalis Præfectus*.

XIII. Subscriptione hujus Cardinalis Præfecti, & Secretarii, nec non sigillo ipsius congregationis, resolutiones ab hac Congregatione emanantes muniti debent; adeo ut declaraverit hæc congregatio probante Urbano VIII. 2. Augusti anno 1632. declarationibus seu impressis seu imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in judicio vel extra habendam, nisi in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfecti & Secretarii ejusdem congregationis fuerint munitæ.

XIV. Declarationes in hac Congregatione frequenter dari occasione casuum particularium, qui ad hanc Congregationem deferuntur, supra notatum fuit: „Quapropter erroneum est (uti monet Cardinalis De Luca) in particularibus Declarationibus cum consuetæ cœca fide vim constitueret; cum ille, quæ singulos, vel particulares concernunt casus, ex eorum particulari qualitate & circumstantiis manare soleant; ideoque alteri diversas circumstantias habenti, non semper sunt applicabiles, cum diversimodè ob diversam facti qualitatem, sepius decernere congruat. Hæc ille in *Annotat. ad Concil. Trid. disc. 1. num. 11.*

XV. Ut ergo declaratio ab hac Congregatione emanata, alicui casui particulari applicetur, expendendum, ac inquirendum, num forsitan hujusmodi declaratio non emanaverit occasione alicujus particularis casus quibusdam singularibus circumstantiis vestiti: aut certè non cum iisdem, quæ casum occurrentem circumstant.

XVI. Declarationes ab hac Congregatione emanantes per modum Legis aut constitutionis publicari non consueverunt, sed per litteras sigillo congregationis, nec non subscriptione Cardinalis Præfecti & Secretarii munitis consulenti- bus intimari; nisi publicationem casu Pontifex fieri mandet; quemadmodum quoad Decretum circa communionem quotidianam ab hac Congregatione 12. Februarii 1679. emanatum, contigit.

XVII. Hinc facile intelligitur, Declarationes has, non ut Leges generales esse habendas; neque pro hujusmodi Concilii Tridentini interpretatione, à qua recedi numquam liceret; quemadmodum plurimis relatis auctoribus latius deducit Berthrandus Loth in Resolutionibus Belgicæ *Tract. 2. art. 10.*

XVIII. Et quidem ipsa congregatio nonnunquam ab interpretatione alicujus Decreti Concilii Tridentini data, postmodum re maturius discussa recessit, uti notat Fagnanus contigisse circa intellectum *Cap. 2. Sess. 24. De Reformat.* „Nam cum ante censuisset, Decretum, quo ibidem disponitur, ne in posterum Episcopi Comprovinciales ad Metropolitanam Ecclesiam accedere in viam compellantur, intelligendum esse de personali accessu ipsorum Episcoporum, non autem de Procuratore mittendo: postea tamen die 17. Julii 1578. de eadem re maturius deliberans censuit, Concilium liberasse Suffraganeos etiam ab onere mittendi Procuratorem, non obstante consuetudine etiam inmemorabili. Sed quia prius diversum senserat, dixit referendum Sanctissimo qui probavit sententiam posteriorem congregationis, iussitque dari litteras ad Episcopos, præsertim Regni Neapolitani, quibus eis significaretur, etiam si hæc Sacra congregatio aliud censuisset; tamen postea per pensis aliis rationibus, & facta relatione Sanctitati Sux ita fuisse Decretum. Et iterum cum antea declarasset in Provincialibus juris patronatus mixti Laicorum, & Ecclesiasticorum requiri formam examinis per concursum; tamen postea animadvertens in mixto prævalere qualitatem, quæ magis favet patronatui; facta relatione Sanctissimo, ac de ejus mandato iterum articulo discusso recessit à prima declaratione.